

Q. F. F. Q. S.

SACERDOTES  
VETERUM  
VIRGINES,

Venia Ampliss. FACULT. PHILOS.  
Aboënsis,

ET OPE

*AMPLISSIMI VIRI,*

Dn. M. PETRI HAHN,

Phyl. Profess. Ord.

&

Biblioth. Regii,

disputationi committit

HENRICUS COREEL,

Aboënsis.

die 22 Junii A. 1704.

In Auditorio Supremo.

---

Impr. apud Jo. WAL.

*Maxime Reverendo & Celeberrimo,*  
**Dn. M. SIMONI**  
**Cålpo/**

S. Theol. in Acad. Aorona PROFESSORI  
Amplissimo. & Eccl Gratiæ Vallens.  
PASTORI vigilantissimo, Avunculo,  
Promotori & Patrono humilima men-  
te æternum colendo.

*Pergam Reverendo & Doctissimo,*  
**Dn. MICHAELI**  
**Brunlof/**

PASTORI animarum in Nthertia me-  
ritissimo, Patrono itidem & Fau-  
tori omnibus modis honoratissi-  
mo.

*O Mæcenates veniam date quæso cli-  
enti,  
Quod titulos vestros, pagina viliis  
habet.*

offert &  
H.

Consulissimo & Equissimo,

Dn. ANDREÆ  
Prytz/

CONSULI Commerciorum Aboënsium  
justissimo, Patrono & Ever-  
getæ ut optimo, ita qvibusvis of-  
ficiis proseqvendo.

Speciosissimo, Prudentissimoq[ue]

Dn. HENRICO  
Cålpo/

SENATORI Curiæ Aboënsis laudatissimo,  
& Mercatori civitatis juxta honestissimo,  
Avunculo & Evergetæ astu-  
matissimo.

Vestra licet nunquam benefacta repens-  
dere possum,

Sumite de grata munera parva  
manu.

inscribit  
C.

Adolescenti  
Mansuetiorum Musarum, Virtutumque  
Affectatori Impigerimo,

Dominico Henrrico Coreel,  
meo ex Sorore Nepoti dilectissimo, Di-  
sputationem proprio Marte elabora-  
tam strenue defensaturo:

 *vam latè pateat præclara Scientia  
Rerum,*

*Q*uos fructus donet, quæ emolumenta ferat,  
His qui sunt studiis addicti; edicere nostrum  
Non est, nec de illis differuisse placet.

A circumfuso fortitur ut Aëre Lumen  
Aspectus, Mentem sic radiare facit  
Humanam, creber Studiorum & sedulus usus,

Cultus item Aonii, Pierisque Chori.  
Hec tu pensulas CORELI, Sacra Minerva,  
Segnitiem fugiens, dum colis atque doces.  
Perbene ceu cœptas, proporro, intendere Musis,  
Persta, animum, tribuet Fata benigna  
DeUS!

ex animo, licet impeditior,  
ad gratulabar

SIMON Talpo/  
SS. Th. Prof. & Past. G.V.



CUM DEI GRATIA,  
ET LECTORIS FAVORE!

I.



isi gratia DEI prima ex-  
cidisset primus homo,  
tam ille, quam omnes e-  
jus posteri, sacerdotes  
DEI a natura fuissent fa-  
eti, utpote qui cognitionem DEI inti-  
mam, summatimque gratiam habuisserent:  
ejus vero grandi ex delicto natura hu-  
mana his bonis privabatur, adque sa-  
cerdotium adeo inepta fiebat, ut homini-  
nes in miseria nati, quem colere debe-  
bant DEUM, & quo ritu, nisi a paren-  
tibus informati, nescirent.

2. Patriarchæ igitur primo necef-  
sum habebant singuli suarum familiarū  
sacerdotes fieri, suos in veri DEI notitiā,  
cultu & amore erudire, pro iis orare,  
immolare, & quæcunq; sacerdotis sunt,

A

face-

facere. Deinde pater suæ quisque familiæ, muneris hujus curam fere omnem in suum filium primogenitum transtulit; obtinuitque ille mos usque, donec DEUS in Arabiæ desertis tribum, e suo populo, Leviticam ad suorum sacrorum administrationem elegit ac destinavit.

3. Diabolus vero, DEI simius cultum suum propagaturus, non modo certas tribus (ut apud Romanos, Potitiam quondam & Pinariam) sed quoslibet, & pro diversitate Deorum, diversissimos sacerdotio ornavit, imo non mares modo, sed & feminas certis præcipue Deabus sacerdotes creavit. De his, mihi, sacerdotibus, earumque ortu & officio, paucis agere animus est.

4. Interim harum, Vestales, ut nobilissimæ, ita quoque antiquissimæ consentur, & suam originem cui debeant, ignoratur. Romani enim multi suo Romulo hanc laudem tribuunt, sed nullâ ratione fulti: nam ante ipsum jam dudum institutæ erant; imo ejus quoqu mater Rhea Silvia Vestalis fuisse, & vi-

com-

compressa Remum, Romulumque genuisse, creditur. Liv. lib: 1. Multo minus Numa Pompilius primus hujus sacerdotii auctor dici potest, quippe qui vetera sacra ex Etruscis & Alba, in novam modo urbem invexit, teste Livio lib: 1. Hic ipse vero Italiæ hunc honorem vindicaturus, in eodem libro, Sacerdotium hoc Alba oriundum, statuit; sed sine causa: nam Lavinio Iulus Albam, & pater Æneas Troja Lavinium illud, una cum Palladio & Penaribus, traduxerat.

5. Unde autem Trojam sit adductum non constat. Ignem quidem sacram ab Ebræis gentes omnes acceperunt, & numine vestierunt, ejusque cultui pleræque, Sacerdotes mares præfecerunt: ut Chaldæi, Ægyptii, Persæ, Syri, Indi &c. perpaucæ vero feminis hoc muneric credidere. Crediderim igitur non perperam egisse Celeb. Rudbeckium, quod nostris hyperboreis hoc inventum magnis rationibus nixus assrerat, eosque multis expeditionibus in totum orbem factis sacra & sacrorum cæremonias in

Asiam & Europam propagasse dicit. Plato certe in Axiocho & Herodotus Opin & Argin hyperboreas virgines, Deos & sacra sua in Schytiā Asiaticā, Dodonam, Melum, Euboeam, Carystum, Tenum, tandemque Delum transportasse, testantur. Auget quoque fidem, quod in celebri illo Biarmensium s. Finnorum Templo solas mulieres leetas esse, tradunt Historiæ Sturlogi & Bolæ.

6. Huic ætate proximum existimari Cereris græcæ Sacerdotium, quod feminis crediderunt Arcades, ut in monte Palatino sacra illi, more græco, abstemia facerent Romani. Vid Dionys: Hali- carnas. Virgines vero Saliæ non infirmæ sunt, utpote quæ una cum Saliis ordinabantur, ut cum Pontifice in regia, ritu Saliorum apicibus paludatæ, sacra facerent. vid. Sext. Pompej: Nil dicam de Sacerdotibus feminis bonæ Deæ s. Fau- næ, utpote non virginibus, sed castis matronis. Taceo itidem Pudicitiæ Patriæ & plebejæ matronas Sacerdotes.

7. Sed qua occasione nata sint hæc  
sacerdotia, dubium est. DEUS certe Opti-  
mus Maximus sexum femininum prorsus  
a suorum sacrorum cura removit; hanc  
ob causam forsan maxime, quod Chri-  
stus Servator & Pontifex noster mas in  
carne fieri, tuosque typos & imagines  
in hoc sibi similes esse voluit; quod etiam  
a natura non nisi ad conjugium & rem  
familiarem curandam mulieres factæ  
essent. Atqui Diabolus hunc sexum, ut  
pote ob judicii imbecillitatem & majo-  
rem animi in superstitiones pronitatem,  
sibi maxime accommodum in suis sacris,  
non modo non neglexit, sed potiori ali-  
quando sexui prætulit. Quare vero id fa-  
ceret, speciosam magis quam veram ob-  
tendit causam; scilicet Diis mares, Dea-  
bus sui sexus sacerdotes placere, & mares  
quidem, ut ad arma & rem publicam a-  
ptiores, ad sanctas res tractandas, &  
maxime, ad ignem illum æternum Ve-  
stæ custodiendum, ineptiores esse. Inter-  
rim id maxime eo fecit, ut sacerdotium  
Christi masculum suo femineo everteret,

altius hominum mentibus suum cultum infigeret & variis modis multiplicaret.

8. Ut vero omnium rerum initia rudia sunt, ita quoque hujus Sacerdotii: in primis nullæ leges, privilegia nulla, unaque solum sacerdos erat. Ita in templo Biarmensium priori unica lacrorum antistes simul & ministra fuisse, in Herrodi & Boſæ historia traditur, quæ suo ex arbitratu omnia egit. Posteriori vero templo, & ornamenta cum laevis cultiora accessere, & plures sacerdotes. Narrat enim Sturlogi Historia cap. 18 Sacerdotes ibi ministrasse triginta, quarum una & giganteo corpore, & pretiosis vestibus eminentior, lacrorum Dux & antistes erat, Deaque vocabatur. Sic quoque Vestalium lacrorum praefides, antea duas, Numa, eorum in novam urbem ductor, quatuor constituit, illasque optandi jus regibus adseivit. Tarquinius vero Priscus illas, ob lacrorum multitudinem ad senarium numerum auxit teste Dion: Halic: Quin etiam Corinthi ætate Alexandri M. in templo Ve-

Veneris magno & splendido centum Virgines sacris inserviisse memorantur.

9. His denique sacerdotibus id cum maribus commune erat, ut sacra, sacrorumque cæremonias sollicite & sedulo observarent, divinam rem facerent, thura & liba offerrent, valaque sacra custodirent; interim multa ab his diversa tam in officio, quam in legibus, pœnis & privilegiis habebant. Vestæ sacerdotibus id primariū munera fuit, ut ignem sacrum, regni pignus & custodem, dies noctesque alerent & curarent, ne extingueretur; quod si enim contigit, formidolosissimū, & civitati perniciem minitans habebatur, aliisque post multam procurationem ignis inferebatur: erat vero hic non vulgaris & silice expressus, sed (ad imitationem ignis sacri Israëlitici) ex solaribus radiis suscitatus. Extinctum enim ignem renovaturi, radios solis ligneo instrumento, σκαφῶν dicto, (ut nos vitro solari s. foolglas) in centrum colligebant, frangebant, & pabulo adhibitot tardabant. Imo Sacerdotes Biarmenses non modo

sacerdotum virilium & Saliorum, sed & Sodaliū, Flaminū, Augorū, Pontificū  
 cum &c. munia, omniaque, quæ ad Deorum cultūm pertinent solæ peragebant,  
 & præter hæc etiam hymnis, cantibus  
 & poëmatibus vacabant, nec non ab ho-  
 stibus & prædatoribus se, suos thesauros  
 & sacra armis viribusque tueri necessum  
 habebant. Sturl. S.

10. Jura, privilegia & honores mul-  
 tos acceperunt. Vestalibus, quæ semper  
 sacrosanctæ putabantur, tanti honores  
 dabantur, ut eo officio unquam carere  
 nollent. Primo namque sine emanci-  
 patione, aut capitis diminutione e patris  
 potestate exibant, ut patre vivo testa-  
 mentum condere, omniaque sine tute  
 agere possent. Si illis in publicum pro-  
 deundum erat, fasces præibant. Si casu  
 obviæ fiebant mortis candidatis ad sup-  
 plicium ducendis, illos morte liberabant;  
 contra vero, qui ipsis ad pœnam fere-  
 tro portandis occurrit, vita privabatur.  
 Nulli intestato hæredes erant, nullusque  
 iis intestatis, sed bona earum, hoc casu,

in

in publicum redigebantur. Imo hæ ac  
flamen Dialis in jus venire, & jus juran-  
dum edere non cogebantur. Coronis  
etiam & splendidis vestibus ornabantur.  
Tantæ item auctoritatis erant, ut viri  
illustres, imo ipsi imperatores sua apud  
illas testamenta deponerent. Id de Ju-  
lio Cæsare & Augusto referunt Suet.  
lib. I. cap. 83. & Tacit. lib. I. Ann. Qvin  
imo his deprecatricibus in periculis  
& delictis, ut facilius veniam impe-  
trarent, utebantur: Ita Messalina Au-  
gusta ad Claudium maritum, indi-  
gnis a se modis læsum, vibidiam ve-  
stalem, ut deprecaretur, misit. Tac.  
I. 2. Ann. ita quoque Vitellius vesta-  
les cum legatis ad pacem petendam le-  
gavit. Suet. lib. 9. Nostræ quoque sacer-  
dotes privilegiis plurimis munitæ erant.  
Ab omni namque tributo & expensa pu-  
blica immunes, summis de publico re-  
ditibus alebantur. Supra humanam for-  
tem evectæ, pro Deabus habebantur, e-  
oque nomine (antistes præcipue) orna-  
bantur. Magica quoque arte adeo ex-

cellebant, ut futura præscire, animos hominum nosse, eosque e longinquo ad se rapere possent. Nec promiscue quibusvis hæc dignitas, sed quas sacrorum regina elegit, patuit.

II. Leges hujus status multæ: primo enim nefas fuit Vestalem capere 6 annis minorem, decemve majorem, & quæ non patrima, matrimaque, quæ lingua debili, sensu aurium diminuta, aut alia corporis labe insignita esset, & quæ ipsa, aut cuius pater emancipatus sit, etiam si, vivo patre in avi potestate foret; & cuius parentes, alter, ambove, servierint, aut in negotio forido fuerint, aut in Italia domicilium non habuerint. Deinde ut 30 annos sacrario serviret, necesse erat, ac primo quidem decennio rationem sacerorum discere debuit, sequenti exercere, & ultimo alias docere. Post exactum vero hoc tempus, nil vetabat eas, positis coronis, cæterisque sacerdotii insignibus, cui vellent, nubere: feceruntque id paucæ, sed parum læro, secundum quosdam,

ex-

exitu, aliisque ne id facerent, ominoso; ita ut reliquæ libenter in Deæ contuber-  
nio postea vitam exegerint. Denique  
ut castitatem servarent, seyera lex erat;  
ex ea enim & salus publica & illarum  
privata, dignitasque omnis pendebat,  
quas, amissa castitate, amitterebant. Cu-  
stodem quoque regni, ignem, sedulo,  
perque vices vigilando, ut custodirent,  
strictè adgebantur. Omnes interdiu ad  
sacra, sed nullum noctu in templum ad-  
mittere sinebantur. Ad templo terminan-  
da & locanda, aliaque multa sacra mu-  
nia adhibebantur. Crinem suum ton-  
sum ad arborem Loton Romæ vetustissi-  
mam, cognomine capillatam, ex an-  
tiquo more deponere debebant. Tan-  
dem ut suæ Duci, Vestali Maximæ s. πρεσ  
βευτον parerent, præceptum datum. Ulti-  
mo ut Palladium Troja allatum bene  
affervarent & reliqua imperii pigno-  
ra, summam illis curam esse oportuit.

12. Supplicia vero & poenæ, quas lu-  
ebant, hæ sunt: cum admissum circa sa-  
cra piaculum, & ignis æternus extinctus

erat, flagris eas Pontifex Maximus vel  
indutas, vel nudas, prætenso folio velo,  
in obscuris locis cædebat. Cum vero  
sacra incestu polluta erant, virginitasq;  
perdita, rea sacerdos in tumulo quo-  
dam terreo juxta portam Collinam vi-  
va defodiebatur: quia corpus summis  
consecratum cæremoniis interficere, sa-  
cræq; mulieri manus adferre, nefas cre-  
debant; sed ultro eam mori volentes, in-  
fra terram in domicilium huic fini ta-  
etum demittere malebant; quia quoque  
soli mortui cremabantur, injustum cen-  
sebant, eam, quæ sacrum ignem malè  
custodivisset, igne delere. In aggere ve-  
ro, quem dixi, scelerato, domuncula e-  
rat, in quam scalis descendebatur, lectus-  
que stratus, lucerna ardens & parum pa-  
nis, lactis, aquæ & olei, ad vitam paulis-  
per fovendam, deferebantur: nefas quia  
autumnabant sacrum corpus fame inte-  
rimere. Tum illam, quæ supplicio de-  
stinata est, lecticæ undique opertæ im-  
positam, lorisque revinctam, ita ut ne  
vox quidem audiri possit, per forum,

comitantibus Pontifice Maximo & sacerdotibus, vehunt. Ei omnes taciti de vita deceidunt, & ingenti cum mœstitia transmittunt, neque est horribilis ullum spectaculum, neque dies, quam urbs videat, tristior; Ubi ad locum dictum ventum est, lictores vincula solvunt, & princeps sacerorum secreto pauca comprecatus, manibus ad Deos extensis, prius quam necessitati pœnæ satisfaciat, obvelatam educit, & in scalis deorsum in foveam deferentibus statuit, sicque cum reliquis sacerdotibus abit. Postquam damnata descendit, sursum gradus attrahunt, multaque superjecta terra domum occulunt, complanantque vid. Dionys. Antifstites item Biarmenses raptam & sacerdotium detrectantem vario modo & cruciatum muneri novo initabant: primo cellæ tenebrose inclusam, & janua ferrea exitu prohibitam, catenis medium constringebant, comamque ne moveri posset, columnæ vel parieti alligabant; deinde cibis eam incantatis diabolicam & sagam fecere. Ita Præsidi sacerorum Kolfrostæ

animus erat raptam ē campis Elysiis virginem Ledur sibi morituræ sufficere.  
Herrod. & Bosæ cap. 7.

13. Hæ sacerdotes virgines ut quoque cæteri idolorum cultores, Diabolo directe & crasse servientes, usque ad seculum a nato Christo quartum florebant: exinde vero Theodosius Magnus, Religionis Christianæ restaurator, eas una cum cæteris mali genii sacerdotibus & sacris plane abrogavit. Interim serpens ille antiquissimus cum non ultra aperte & directe sacerdotium suum, cultumqu propagare posset, suumque caput à Christo conteri videret, calcem ejus mordere, & sacerdotes veri DEI sub pallio & nomine latentes sibi parare adgressus est. Ita Virgines Christianas, ut a societate hominum promiscua segregatæ, adque finem vitæ cœlibes, DEO se totas sacrarent, induxit.

14. Factum id primis statim a Christo temporibus. Cum enim persecutum vehementia tanta esset, ut Christi-

stiani nominis Confessores infinitis cru-  
 ciatum, suppliciorum & malorum mo-  
 dis affligerentur, illis ferendis cœlibatus  
 multo, quam matrimonium, aptior vide-  
 batur, & cœlibes cruciari, in exilium  
 agi & trucidari, quam una cum conjugé  
 & liberis, minus miserum putabatur.  
 Deinde gravem ob infamiam & illicitæ  
 veneris, ex antelucanis congregationi-  
 bus, suspicionem, multi se castrare & per-  
 petuæ virginitati studere, teste Justino  
 Martyre cœperunt. Denique teneri &  
 ex Judæis, paganisque conversi fideles  
 suas secum sanctimonias in Christianis-  
 mum invehere orsi sunt; Cumque vide-  
 rent Phariseos & Heslæos, eorumque  
 μεστέας μεριάς, ob cœlibatum summa  
 sanctitatis opinione celebrari, atque gen-  
 tilium Vestales ob castitatem sacrosan-  
 cas esse, summisque honoribus ornari,  
 cæca illas κανοζηλία & superstitione æ-  
 mulatae sunt, externamque pietatem ex-  
 ercuerunt. Ita Corinthii suas filias perpe-  
 tuæ virginitati ob commodiorem Christi  
 cul-

cultum addicere, quam elocare malebant; & quamvis divinus Paulus i. Cor. 7. cum cautione & limitibus iis illud permisit, ejus tamen verba absolute & sine restrictione: disponente id diabolo) accepta sunt, studiumque virginitatis a quibusvis, etiam maxime inhabilibus & ineptis, cœco impetu cœptum urgeri. Sic Nicolaus ille Ecclesiæ primæ Diaconus (cujus mentio fit Act. 6.) licet uxori junctus esset, consuetudini conjugali, ut commodius DEO servire posset, renunciare statuit, cumque id ad finem vitæ præstare nequisset, maluit promiscua vene, & vagis libidinibus, quam legitimo conjugio uti, sicque horrendi illius in patatu moris pater exstitit. Vid. Epiphan.

15. Firmavit rem fraudibus & mendaciis Sathan & impostores multos excitavit, qui Apostolos, matrimonio virgines prohibere facta matrimonia solvere, & quibusvis severo cœlibatum injungere, male eorum verba interpretantes, docerent; quin imo majorem in rei

rei fidem historia falla in Asia scripta est de Tecla nobili Iconensium virgine, quod Thamiro cuidam desponsa, ex Pauli hortatu & iussu, sponsa repudiata, perpetuae se virginitati devoverit, Paulum secuta sit, abque illo tandem sacro consecrata sit velo. Hæc vero fabula infinitas virgines ad ejus exemplum imitandum, teste Tertulliano, permovit, donec Div. Johannes eam ex Ecclesia fabulam exterminavit.

16. Verum post Apostolorum tempora cœlibatus & virginitas non amplius persuaderi & libere usurpari sed cogi & legibus latis Christianis injungicœperunt: Ita Eustathius Arianus suis discipulis legem præscripsit, ut uterque sexus a matrimonio abstineret: Deinde concilium Chalcedonense addita pœna ex communione ejectionis idem sanxit. Denique Innocentius primus Papa, A. Christi 407 legem promulgavit, qua virginibus sacris, si nuberent vel stuprarentur omnem gratiæ & pœnitentiæ locum negavit, ob hanc rationem; quod quæ im-

mortali se sposo conjunxerat, si postea se humanis nuptiis maculaverit, pessima sit adultera. Tandem Jovinianus imperator, imitatione genriliū, decrevit, ut capitali supplicio afficeretur monialis & qui cum illa fœdus conjugale pepigit. Quin imo ruentibus omnibus in Ecclesia in dexterius, moniales nubentes æterno carcere plectere & infinitis tormentis cruciare inceperunt; ita anno Christi 1545 Abbatissa quædam hanc ob rem miseris in Germania cruciatis torta ab Bruschio dicitur.

17. Virgines hæ sacræ, quæ primo piæ & liberae, nullisque inclusæ monasteriis erant, successu temporis multis legibus, privilegiis & superstitionis ritibus constringebantur. Primo quidem in duas classes dividebantur, deinde ut mediocriter se vestirent, parce ederent, balneis abstinerent, nisi faciei & manuum abludarum causa, certas horas hymnis & orationibus vacarent, seorsim orarent, nunquam denudarentur, charitatem, mansuetudinem, tolerantiam, longanimitatem,

& clementiam exercerent, cum viris non comedarent, e cœnobio raro & bonis vetulis comitatæ exirent, & multa alia dura illis lege injuncta erant. Ad hoc autem munus cum admoverentur, aliquando ab Abbatissâ, post Caroli Magni tempora a Diœcesis Episcopo consecrabantur hoc ritu: primum vestimenta, quibus ornanda erat, in altari ab Episcopo conssecrabantur. Post iis induebatur, velum solum Episcopus reservabat. Ipsa vero sacris amictâ vestibus duos ardentes cereos utraque manu tenens ad altare accedebat, ibique se prosternebat: post lectum vero Evangelium Episcopus ipsi longæ orationis formula bene precebat, deinde eam Abbatissæ tradidit & novo muneri admovit.

18. Præter dictas officii partes, cum nempe castitatis, literarum & monum studium & preces psalmosque continuos circa annum Christi 700 Bonifacius Papa monialibus concionari permisit, ut Balæus testatur. In hoc mu-

nere præ aliis feliciores celebrantur Tecla ad fluvium Mogun & Lieba in Bischofsheim auctore Vilibaldo. Quin immo eo usque audaciæ processit data licentia, ut qvædam Abbatissæ etiam manus imponere, creare sacerdotes & velare virgines instituerint; donec Ludo-vicus i. Imperator eas hac facultate prohibuit.

19. Hisce vero Virginibus, Basilio, vestalibus duces Virgines præficieban-tur, Abbatissæ dictæ; quæ ex Cabillonensis synodi de crero se & subditum gregem cum magna religione & sanctitate cu-stodire norint, & eum in lectione, offi-cio ac psalmorum cantu exercere debe-ant, stipendia suis necessaria præbeant, a maribus sibi & suis caveant, e mona-sterio non exeant, nec juvenculæ, sed sexagenariæ vetulæ sint. Sed paucæ ta-men has vivendi leges secutæ sunt, ple-ræque enim & negligenter suas insti-tuebant, & castitatem male servabant, mares ad se & amasios per occultas vi-


as admittentes & infantes stupro conceptos enecantes. Imo diabolus his virginibus ad pessimas artes & mala abusus est, easque non modo corporales, sed etiam spirituales meretrices effecit, adeò ut hæ una cum Anti Christo Romano sint meretrix illa Babylonica de qua D. Johannes in apocalypsi multis prædixit..

20. Certe Diabolus non modo virgines, sed quoque pellices ad suum cultum promovendum adhibuit, easq; non modo spirituales ut Pontifices Romanos, sed etiam corporales & habitu masculo sexum mentientes. Ita peculiari DEI ex providentia puella quædam Mogunti nata sexum celavit, & Athenas cum præceptore viro docto protecta est, ibique in literis tantum promovit ut Romanam veniens, paucos in eruditione haberet pares, nedum superiores. Legendo autem & disputando docte & acutè tantum benevolentiaz & auctoritatis sibi comparavit, ut mortu o Leone 4, omnium consen-

: 8 : 22 : 8 :

sensu Pontifex crearetur. Confuevit in-  
terim cum quodam Amasio, & compressa  
uterum diu occulte tulit, donec partui  
vicina, adque templum Lateranente itu-  
ra Papillum peperit. Hoc ipso vero  
DEUS sedem Papalem ostendit meretri-  
cis Babylonicæ Thronum esse, illudque sa-  
cerdotium, ut femininum & meretricium  
Diabolo placere, sibi vero mascu-  
lum Christi sacerdotium  
gratum esse:

**CUI SIT ÆTERNA GLORIA!**



Dispu-

Disputatorem

Natura & arte commendissimum

DN. HENRICUM COREEL,  
multis sibi vinculis junctissimum,  
hoc epigrammate  
adfecit.

Arcet inextinctis castissimus ignis  
ab aris,  
Virgineas palmas, femineumque sa-  
crum.  
Virgineo mystas animo tamen usque  
requirit,

In quibus & castus sit pietatis amor.  
Grata proin si liba Deo vis ferre sa-  
cerdos,  
Virque bonus fies, castaque virgo  
simus!

JOH. Zalpo/ S.F.

Su-

Super Juvene  
Literis & moribus Ornatisimo  
De SACERDOTIO VIRGINUM  
disputatuero.

**N**ititur ad metam cupide promiscua turba,  
Principuam partem sed mora multa  
tenet,  
Nam festinantem sentes, repretaque tardant  
Tramite & a recto devia multa trahunt,  
Ast iter emensus Tute es feliciter amplum,  
Amplius a meta nec procul ipsus abest,  
Optime amice modo culmen censanda propinquū  
Et Tibi de Pindi vertice scita cape.

hæc fudit

ALBERTUS SPENSENIUS.

